


**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Johannes Corfinius, SS.  
Theol. D. Moraliū Professor, & Pastor D. Mar. Ad Exequias Quas Viro ... Dn. M.  
Christiano Arndio, Logices Professori in Universitate ... Magna cum animi  
aegritudine paratura est Vidua relicta moestissima, Hodie hora 1 in Templo  
Jacobaeo, Cunctos Universitatis Cives peramanter & sedulo vocat**

Rostochii: Kilius, 1653

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746968701>

Druck Freier  Zugang






...lac  
...um  
...gensis  
...n.




*Pl. 241. (1.)*











PROGRAMMA

*Quo*

RECTOR

UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS

JOHANNES CORFINIVS,

SS. Theol. D. Moralium Professor,

& Pastor D. Mar.

Ad

*Exequias*

*Quas*

VIRO EXCELLENTISSIMO,

ET CLARISSIMO

Dn. M. CHRISTIANO

ARNDIO,

Logices Professore in Univer-

sitate hac Ordinario & laudatissimo,

Marito suo Desideratissimo,

Magnâ cum animi ægritudine paratura est

Vidua relicta mœstissima,

*Hodie horâ 1 in Templo Jacobao,*

Cunctos Universitatis Cives peramanter

& sedulò vocat.

---

ROSTOCHI,

Excudebat NICOLAUS KILIUS, Acad. Typogr.

ANNO 16. 16. LIII.





Non ita pridem Viros duos ex celebriore Güstroviensi sinu transmissos Balticum hoc Rosetum gremio suo exceperat, qui decore & vigore juvenili decenter florebant, eruditione verò fulgebant præclara, de quibus non nisi egregia & magna deinceps sibi polliceri poterat, sed quæ prohdolor vitæ hujus fugacissima vicissitudo est, illi qui intra annum propemodum spatium ad functionem dignitatemq; Professorum fuerant cooptati & evecti, intra trimestrem temporis decursum orbi rursus valedixere, magnumq; sui desiderium Universo Academico Choro reliquerunt. In extremo Anni proximè elapsi exitu Virum admodum Reverendum & Excellentissimum Dn. DANIELEM MICHAELEM Güstroviensem, S. S. Theolog. Doctorem, ejusdemq; dignissimum Professore, de Academicâ Juventute præclare merentem, Amicum quantisper vixit, conjunctissimum, tumulo commisimus, non absq; publico bonorū omnium luctu, sed isto vulnere vix dum aliquatenus obducto, iterum recrudescit dolorosa cicatrix, dum Collegæ optatissimi & Excellentissimi Viri Dn. M. CHRISTIANI ARNDII Güstroviensis, Logices Professoris Clarissimi funus sit indicendum, qui juxta cum priore non mediocrem Academiæ spem fecerat, emolumentum publici. Utinam verò subacta eruditionis copia in arcêdo mortis immaturæ insultu quidquam valuisset, vel nostris saltem votis aliquid licuisset impetrare, sanè ad seros hi ipsi longissimè servati fuissent nepotes; sed ut bonorum cœterorum omnium, ita eruditionis quoq; affluentia in nece fugandâ ne minimum quidem præstabit. Præclara equidem doctrinæ est possessio, cujus vigorem & constantiam nulla belli  
rabies



rabies, cumultus nullus, nulla deniq; etiam si furibunda  
fuerit maris tempestas, demere aut annihilare valebit.,  
quod ipsum Græci affabrè suo Apophtegmate pronun-  
ciarunt,

*Ἄνα Φάριετον κῆρυ' ἐστὶ παρὰ δὲ α Βεργίης*  
*Doctrina non potest Domino eripi suo,*

unde insigniores aliquot Sapientes post immissam in-  
fortunii cladem intrepidam mentis fortitudinem evi-  
dentissimè aperuerunt. Aristippus quondam naufragio ejectus  
ad Rhodiensium litus in Gymnasium venit, deq; Philosophiâ  
disputavit, dicentibus verò comicibus, qui de reditu in patriam  
cogitabant, Num quid suis nunciari vellet? jussit dicere, Ejus-  
modi possessiones & viatica liberis oportere parari, quæ etiam  
cum naufragio possent una enasare: Consimile de Scilpone  
Seneca memorat in Epist. illum videlicet captâ patriâ, a-  
missis liberis, ipsâ etiam Uxore amissâ, cum ex publico incendio  
solutus exiret, Demetrio, (cui cognomen ob excidium urbium Po-  
liorcetes fuit) interroganti, Num quid perdidisset & respondisse.  
Omnia mea bona mecum sunt, adeoq; virum fortem & strenuum  
ipsam hostis sui victoriam vicisse. Sed quantumvis eapro-  
pter Eruditionis possessio eminentissima sit, & singulari  
polleat excellentiâ, neq; abs re κῆρυα κῆρυα indigite-  
tur, attamen nulla omnino ipsius prærogativa est, effi-  
cacia nulla, simulac morborum mortisq; decumanæ in-  
gruunt procellæ, juxta cum ignorantissimis ipsi etiam  
rerum divinarum humanarumq; Indagatores industrii  
& præclarissimi occidunt, neq; ad momentum placatur  
aut cohibetur sævior mortis impetus. Veruntamen  
habent Eruditiores & generosæ mentis Candidati præ-  
reliquâ crassâ gente Meneni de quo sibi haud immeritò  
gratulabuntur, ipsi etenim omnium exactissimè vitæ e-  
vanescens fragilitatem & molem adjunctam molestif-



simam ponderare queunt, propterea citissimè ad abitum  
 animos apparabunt, ne inviti, sed cum animi lubricine,  
 ex hac mortalium scenâ emigrent, fluxa quoq; floccifa-  
 cienda esse maturè observabunt, ne scrupulum illa inji-  
 ciant, tardentq; animum ad cœlestia aspirantem. Bre-  
 vissimam fore vitam ignorare sanè nequeunt, proinde,  
 longiorè haud optant, ne molestias sibi eligere videan-  
 tur, neq; fallaci vitæ diuturnioris fascino proprios di-  
 vexant oculos. Ærumnosâ fragilemq; vitæ conditionē  
 olim adumbraturi Sapientes, totum vitæ tractum nun-  
 cuparunt *αἰσθητήν*, mensurâ videlicet satis exiguâ fuga-  
 cem mortalitatis demonstrare periodū fategerunt; quo-  
 rum sententiam suo quoq; calculo confirmavit Psaltes  
 Regius, dum vitæ dies *ὡσεὶ ἄνθος* seu palmis assimilare haud  
 dubitavit. Nunquam verò satis demirari licebit usque  
 adeo in jubare meridiano quosdam cœcutire homines,  
 & cum ipsâ ratione insanire, qui anhelante spiritu anxie  
 optant desiderantque fervidè ætatem longæviores  
 ponderare debebant miseri, quæ quantaq; in hac valle  
 ærumnis obseptâ perpetiantur, neq; unquam putare,  
 sese semper victuros, neq; morituros unquam. Tempora  
 cadunt & saxa, marimora quoq; ferro plumboq; conso-  
 lidata, & homines merâ fragilitate scærentes se nun-  
 quam morituros existimant. Longiorem annorum fe-  
 riem, & sexagenariorum vel septuagenariorum senium  
 singulis annis, mensibus, diebus sibi pollicentur, qui sin-  
 gulis potius horis momentisq; necem imminere præ-  
 sentissimam, ruminare debebant. Concinnè hos corre-  
 xit *Morus*

*Nugamur, mortemq; procul procul esse putamus,  
 At medius later hac abditis visceribus,  
 Scilicet ex illâ, quâ primùm nascimur horâ,  
 Prorepunt junctis visq; morsq; pedes,*

PATRONO



773  
*Partem aliquam furtim quã se meretur, & ipsam*

*Surripit è vitã qualibet hora tuã.*

Horam emortualem vitam demum decurtare complures autumant, quam tamen unaquãq; hora, & momentum quodvis depascit, scilicet.

*Paulatim morimur, momento exstingvimur uno,*

*Non secus ac lampas deficiente oleo.*

Falsa est computatio quod crescere dies censeant qui re ipsa minuuntur, crescentibus sanè hominibus dies decedunt potius quam accedant; Constitue homini nato septuaginta, vel octuaginta annos, quicquid vivit de summa minuit; nihilominus de natalitiis recurrentibus & nobismetipsis gratulamur, & aliis charissimis: Si vinum tibi minuatur in dolio tristaris? dies perdis & gaudes? Mali dies sunt, & eò peiores quia diliguntur; sic blanditur mundus, ut nemo velit finire vitã ærumnosam: Hæc ipsa *Hipponensium Antistes* suo sæculo pulchre secum ponderavit, & aliis expendenda expressit. Neq; sola brevitatis tædium injicit, sed præcipue ad veritatem copiosa messis, ipsa enim utcunq; brevissima fit, molestus nihilominus usq; adeò abundat, ut comparatione ejus mors remedium esse putetur, non poena; & ideo singularem benignitatem declaraturus brevem illam Deus fecit, ut molestiæ perplexæ, quæ prosperitate vinci tolliq; non poterant, temporis exiguitate tandem finirentur. Neq; v. unquã vixit ul. us mortaliũ, qui non aliqualem hujus absinthij degustaverit amaritudinem, namq;

*Οὐκ ἔστιν εὐρεῖν βίον ἄλυτον ἔδει:*

quod si cœtera defuerint incommoda, cum propriis decertant curis homines, supervacuis ut plurimum, neq; inutilibus modo, sed damnosis quoq; & pestiferis. Quod citius itaq; hanc sarcinam licuerit deponere, eò relictores erant celandi, namq; multa poenitenda occurrunt  
dij



diu vivendo; hinc *Seneca* pulcherrimè, *Hoc unum discas,*  
*monet, vitam contemnerè, Nemo illam benè rexit, nisi qui con-*  
*tempserit.* Idcirco non infelicius neq; inconsultius foret,  
sicut in æquore solent suspecto navæ circumspecti cla-  
vum flectere, diuq; ante solis occasum submittere vela,  
sic in vitâ portum petere, & adhuc florenti ætate, atq; a-  
nimo virenti, & valentibus membris mori, priusquam eò  
perventum sit, quò saltem vita longior perducit, ad ulti-  
mas scilicet angustias senectutis, inter quas arctari qui-  
dam, & vixisse dolent, & mori metuunt, & toties voti  
exoptatum tempus excusant, deniq; quid velint, & quid  
nolint nesciunt. Nec tamen propterea imperfectior e-  
rit vita, quòd finita sit citò, dummodo honesta fuerit, u-  
bicunq; defines, si benè defines, tota est.

Quamvis ergo *Excellentissimus & Clarissimus Academia*  
*Professor Dn. M. CHRISTIANUS ARNDIUS,* trigeli-  
mo ætatis anno nondum absoluto, vitæ cursum jam ab-  
solverit, non idcirco infelicior existimand⁹, cum ad cœ-  
lestem Hierosolymā, & Universitatem Electorum ocy-  
us concesserit, adeoq; obitus beatus felicitatis non mini-  
mæ sit particula, sed prodromus gaudii æterni. Hunc  
nobis cum fatalis necis terminus surripuerit, nunc pro  
more ejus indicandæ erunt exequiæ, & illa exponenda,  
quæ consuetudinis lex recensere postulat. Patriâ antè  
indicavimus, ex illâ enim oriundus est vicinâ Civitate,  
quæ Illustrissimorū Megapolensium Ducum Aulâ jam-  
pridè celeberrima fuit, Güstroviensem indigito sedem.  
Patrem nactus est istius loci Antistitè, Virum Plurimū  
Reverendum, & Excellentissimum Dn. M. SAMUE-  
LEM ARNDIUM, per integros triginta duosq; an-  
nos Güstroviensium Verbi Præconem fidelissimum, ho-  
die Diœcesum Rostochiensis & Güstroviensis Superin-  
tenden-



774  
tendentem benè meritum, Affinem & Amicum nostrū honoratissimum,  
cui quantū, & quam penetrabilem hoc discessu immaturo infixit do-  
lorem mœroremq; Filius Primogenitus, Litteris præclare excultus, &  
in Academicâ dignitate jam efflorescens, illi conjicient facile, qui  
non penitus sunt ignorantes, quid ~~50221~~ paterna valeat, huic itaq; Paren-  
tū afflictissimo, ut tantum minuat dolorem sacer spiritus fortitudinis,  
enixe precamur. Matrem, quam ad cœli gaudia præmissam nunc subse-  
cutus est, habuit ANNAM MER TELIAM, Fœminam moribus & Vir-  
tute Laudatissimam, Viri Reverendi & Litteratissimi Dn. ER HARDI  
MER TELII, Ecclesiæ Cathedralis Güstroviensis per ipsos XX. annos  
Ecclesiastæ vigilantissimi, Filiam. His Parentibus in lucem editus, cum  
cœlesti Lavacro lotus esset, ab iisdem privatim ac domi curâ nunquam  
interruptâ pietatis, virtutumq; rudimenta hausit, atq; adeo morigerum  
placitisq; paternis se obsequentem exhibuit, ut destinatâ opera patriam  
propensionem non irritaret: Postea in Scholâ traditus est Patriæ, &  
litteris cepit imbui humanioribus, quas pro singulari docilitate ingenii,  
quâ pollebat, celeriter hausit, atq; deinceps coluit successu felici. Rudi-  
menta Lingvarum Artiumq; doctus in celebrem Luneburgensium, mis-  
sus est Ludum, ubi eo quoq; studio impigro & successu laudabili litteris  
invigilavit, ut demum Lingvæ Romanæ & Græcæ cognitione instructus,  
inde in nostrâ rectâ sese conferret Universitatem, in quâ cum aliquot ar-  
dore commendabili transgisset annos, supremo Philosophorum Gradu  
ornatus est, & illo velut stimulo excitatus dehinc animum ad studia Phi-  
losophica & Theologica exactius excolendâ applicuit. Neq; vero in-  
patrio duntaxat commorari voluit solo, sed ad externos migravit, & Ba-  
ravorū famigeratissimas salutavit lustravitq; Universitates, atq; Lugduni  
aliquantis per substitit, exinde ad florentissimas Germaniæ concessit A-  
cademias, Wittebergensē cum primis, Lipsiensē, & Argentoraten-  
sē, in quibus cum subsisteret, Theologorū Celebratissimorū convictu  
usus fuit, & ex eorum conversatione prudentiæ thesaurum instruere vo-  
luit, in Lipsiensi etenim Viri Admodum Reverendi & Celeberrimi Dn.  
D. HULSEMANNI, in Argentoratenſi vero Admodum Reverendi &  
Præcellentissimi Dn. D. DANHAWERI, Theologorum hoc sæculo  
Eminentissimorū mensâ & contubernio usus est. Anno quadagesimo  
nono ex Academiis Exteris redux domi aliquantis per substitit, donec  
Anno proximè sequenti quinquagesimo, ab Illustriss. Principe & Dno.  
Dn. ADOLPHO FRIDERICO, Duce Megapolitano &c. Domino  
nostro Indulgentissimo, ad vacantem Logices Professionem in hanc U-  
niver-




universitatem vocaretur, quam Professionis spartâ die XV. Aug. assumptam ornare cepit, & utinam eandem per annos complures deinceps ornare, Deo decernente, valuisset! Connubium contraxit Anno 1651. die IX. Julij, sociamq; vitæ sibi elegit Virginem Pudicissimam, Virtutumq;, ornatu Egregiam **A N N A M Lemben / Viri spectatissimi, & Integritate conspicui Dn. HERMANNI Lemben / Civis primarij Filiam,** nunc quidem Viduam inopinato Mariti Desideratissimi discessu maximè afflictam, ex quâ Filiolum suscepit adhuc superstitem Unicum, **SAMUELEM CHRISTIANUM,** Parente charissimo præpropere orbatum. In Officio Publico ita sese gessit, ut nihil eorum intermitteret, quæ ad Academia decus, & Studiosæ juventutis emolumenta pertinerent: Pietatis quoq;, quæ reliquarum basis est virtutum, candidus cultor fuit, & constans, quippe quâ nihil prius antiquiusq; ducendum statueret. Hactenus vero viventis res exposuimus, nunc ad extrema veniendum: Die hujus mensis XVII. malè habere cepit, cum feбри corripereetur continuâ, illaq; admodum vehementi, cui vicendæ pares non erant vires, quas tamen non mediocres antea habuerat; Equidem Medicorum Excellentissimorum cura nihil intermisit, quod ad recuperandam faceret valetudinem, omnis nihilominus opera frustranea fuit, malum potius indies magis magisque crevit & sæviit. Ipse cum imminere ultimum vitæ terminum persentisceret, nihil æquè in votis habuit, quam ut Servatori, interveniente S.S. Eucharistiâ, uniretur quantocyus, & sacrum istud E-pulum cum ab Admodum Reverendo, & Excellentissimo Dn. D. **CASPARO MAURITIO,** S.S. Theol. Professore & Ecclesiaste laudatissimo, Dn. Collegæ & Affine nostro conjunctissimo, præviâ confessione assumisset, ad placidam se animo lubentissimo composuit emigrationem, quam proximo XXIII. Martij die horâ VIII. vespertinâ inter amplexus & suspiria astantium Uxoris & Cognatorum placidè & tranquille obtinuit, postquam trigessimum ætatis annum vivendo nondum confecisset. Virtus equidem & eruditio singularis provectoræ ætatem omnino meruerant, sed cœlestis Directoris propensio in Macariten tanta fuit, ut illum ulterioribus orbis infortuniis exponi haud admiserit.

Exequiæ Viri hujus Excellentissimi, & Collegæ optimi, hoc die in æde D. Jacobo sacrâ instituentur: istas vero ut frequentissimo comitatu ornetis, Cives Academici singuli peramanter rogamini, sic etenim Defuncti virtus postulat, insuper Dn. Parentis & Fratrum Egregiorum atq; reliquorum luctu correptorum mæror non mediocre solamen exinde colliget. P.P. Rostochi die XXVIII.


Martij Anno clb Ico LIII.

*Instituetur Conventus Hor. I. in Templo Jacobæo.*
























the scale towards document

773

*am furim quã se meieur, & ipsam  
vitã qualibet hora tuã.*

em vitam demum decurtare complu-  
m tamen unaquãq; hora, & momen-  
ascit, scilicet.

*imur, momento exstingvimur uno,  
ac lampas deficiente oleo.*

tio quod crescere dies censeant qui rei-  
escentibus sanè hominibus dies dece-  
accedant; Constitue homini nato se-  
uaginta annos, quequid vivit de sum-  
ominus de natalitiis recurrentibus &  
tulamur, & alius charissimis: Si vinum  
dolio tristaris? dies perdis & gaudes?  
ed peiores quia diliguntur; sic blandi-  
mo velit finire vitã ærumnosam: Hæc  
*Antistes* suo sæculo pulchre secum  
is expendenda expressit. Neq; sola-  
ium injicit, sed præcipue ad veritatem  
osa enim utcunq; brevissima fit, mole-  
usq; adeò abundat, ut comparatione  
um esse putetur, non poena; & ideo fini-  
atem declaraturus brevem illam Deus  
perplexæ, quæ prosperitate vinci tol-  
temporis exiguitate tandem finirent  
uã vixit ul. us mortaliũ, qui non aliqua-  
ij degustaverit amaritudinem, namq;  
*εὐρεῖν βίον ἄλυτον ἔδει:*

stuerint incommoda, cum propriis de-  
tines, supervacuis ut plurimum, neq;  
sed damnosis quoq; & pestiferis. Quò  
arcinam licuerit deponere, ed relicio-  
di, namq; multa poenitenda occurrunt  
du